



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

De modestia, quæ consistit in exterioribus motibus corporis. Quæstio 168.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38803**

tur per sensus, quod voluptas pulchra, suavis, canora, sapida, lenia, sectatur. Curiositas autem etiam his contraria tentandi causa non ad subeundam molestiam, sed experiendi noscendique libidinem.

Ad secundum dicendum, quod inspectio spectaculorum vitiosa redditur, in quantum per hoc homo fit pronus ad vitia vel lasciuia vel crudelitatis, per ea, quæ ibi representantur. Vnde Chrysostomus dicit, quod adulteros & inuerecundos constituunt tales inspectiones.

hom. 6.  
in Matt.  
nō remō-  
tē a fine,  
10. 2.

Ad tertium dicendum, quod prospicere facta aliorum, vel inquirere bono animo, vel ad utilitatem propriam, ut scilicet homo ex bonis operibus proximi prouocetur ad melius, vel etiam ad utilitatem illius, ut scilicet corrigatur si quid ab eo agitur vitiose, secundum regulam charitatis, & debitum officij, est laudabile: secundum illud ad Hebr. decimo, Considerate vos inuicem in prouocationem charitatis & bonorum operum. Sed quod aliquis intendat ad consideranda vitia proximorum, ad despiciendum, vel detrahendum, vel saltem inutiliter inquietandum, est vitiosum. Vnde dicitur Prouerbiorum vigesimo quarto, Ne insidieris & quæras impietatem in domo iustij, neque vastes requiem eius.

## QVÆST. CLXVIII.

De modestia, prout consistit in exterioribus corporis motibus, in quatuor articulos diuisa.

Postea considerandum est de modestia, secundum quod consistit in exterioribus motibus corporis.

- ¶ Et circa hoc quærentur quatuor.
- ¶ Primo, utrum in exterioribus motibus corporis, qui serio aguntur, possit esse virtus & vitium?
- ¶ Secundo, utrum possit esse aliqua virtus circa actiones ludi?
- ¶ Tertio, de peccato quod fit in excessu ludi.
- ¶ Quarto, de peccato ex defectu ludi.

*Virtum in exterioribus motibus corporis sit aliqua virtus?*

804

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod in exterioribus motibus corporis non sit aliqua virtus. Omnis enim virtus pertinet ad spiritualem animam decorem, secundum illud Psal. 44. Omnis gloria eius filia regis ab intus, glos. id est, in conscientia. Sed motus corporales non sunt ab intus, sed exterius. Ergo circa huiusmodi motus non potest esse virtus.

4. Eth. le. 16. prin.

est Aug. hoc loco to. 8.

¶ 2 Præterea, Virtutes non insunt nobis à natura, ut patet per Philosophum in 2. Ethic. Sed motus corporales exteriores insunt hominibus à natura, secundum quam quidam sunt velocis motus, & quidam tardi motus: & idem est de alijs differentijs exteriorum motuum. Ergo circa tales motus non attenditur aliqua virtus.

\* in prin. li. 2. eth. to. 5.

¶ 3 Præterea, Omnis virtus moralis est circa actiones quæ sunt ad alterum, sicut iustitia, vel circa passiones, sicut temperantia, & fortitudo. Sed exteriores motus corporales non sunt ad alterum, neque etiam sunt passiones. Ergo circa eos non est aliqua virtus.

¶ 4 Præterea, In omni opere virtutis est studium adhibendum, ut supra dictum est. Sed adhibere studium in dispositione exteriorum motuum, est vituperabile. Dicit enim Ambrosius in 1. de Offic. Est gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, grauitatisque pondus, tranquillitatis vestigium: ita tamen si studium desit atque affectatio, sed motus sit purus ac simplex. Ergo videtur quod circa compositionem exteriorum motuum non consistat virtus.

q. 166. a. 1. arg. 1. c. 18. circa med. to. 1.

SED contra est, quod decor honestatis pertinet ad virtutem. Sed compositio exteriorum motuum pertinet ad decorem honestatis. Dicit enim Ambrosius in primo de Officijs, Sicut molliculum & infractum vocis sonum aut gestum corporis non probo, ita neque agrestem aut rusticum. Naturam imitemur,

c. 19. circa fi. to. 1.

Ecce 2 esse

436 QVÆST. CLXVIII. ART. I.  
effigies eius formula disciplinæ, forma honestatis est.  
Ergo circa compositionem exteriorum motuum est  
virtus.

*ibid.*

RESPONDEO dicendum, quod virtus moralis consistit in hoc quod ea quæ sunt hominis, per rationem ordinantur. Manifestum est autem quod exteriores motus hominis sunt per rationem ordinabiles. Ad imperium enim rationis exteriora membra moventur. Vnde manifestum est quod circa horum motuum ordinationem virtus moralis consistit. Ordinatio autem horum motuum attenditur quantum ad duo. Vno quidem modo, secundum convenientiam personæ. Alio modo, secundum convenientiam ad exteriores personas, negotia, seu loca. Vnde dicit Ambrosius in 1. de Officijs \*, Hoc est pulchritudinem viuendi tenere, convenientia cuique sexui & personæ reddere. Et hoc pertinet ad primum. Quantum autem ad secundum, subditur, Hic ordo gestorum optimus, hic ornatu ad omnem actionem accommodus. Et idem circa huiusmodi exteriores motus ponit Andronicus duo, scilicet ornatum, qui respicit convenientiam personæ: vnde dicit, quod est scientia circa decens in motu & habitudine; & bonam ordinationem, quæ respicit convenientiam ad diuersa negotia, & ea quæ circumstant. Vnde dicit quod est experientia separationis, id est, distinctionis actionum.

*a. 18. parum ante med. so. 1.*

Ad primum ergo dicendum, quod motus exteriores sunt quædam signa interioris dispositionis, secundum illud Ecclesiastici decimonono, Anus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis, enuntiant de illo. Et Ambrosius dicit in 1. de Officijs \*, quod habitus mentis, in corporis statu cernitur, & quod vox quædam animi est, corporis motus.

*cap. 18. a med. so. 1*

Ad secundum dicendum, quod quamuis ex naturali dispositione habeat homo aptitudinem ad hanc vel ad illam dispositionem exteriorum motuum, tamen quod deest naturæ, potest suppleri ex industria rationis. Vnde Ambr. dicit in primo \* de Officijs, Motum

Motum natura informet. Si quid sanè in natura vitij est, industria emendet.

Ad tertium dicendum, quòd sicut dictum est †, exteriores motus sunt quædam signa interioris dispositionis, quæ præcipuè attenditur secundum motuum passionem. Et ideò moderatio exteriorum motuum requirit moderationem interiorum passionum. Vnde Ambros. dicit in primo † de Officijs, quòd hinc scilicet ex moribus exterioribus, homo cordis nostri absconditus, aut leuior, aut iactantior, aut turbidior, aut contra grauior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Per motus etiam exteriores alij homines de nobis iudicium capiunt: secundum illud Ecclesiastici decimonono, Ex visu cognoscitur vir, & ab occurfu faciei cognoscitur sensatus. Et ideò moderatio exteriorum motuum quodammodo ad alios ordinatur, secundum illud quod Augustinus dicit in regula, In \* omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Et ideò moderatio exteriorum motuum, potest reduci ad duas virtutes, quas Philosoph. tangit in 4. Ethic. † In quantum enim per exteriores motus ordinamur ad alios, pertinet exteriorum motuum moderatio ad amicitiam vel affabilitatem, quæ attenditur circa delectationes & tristitias, quæ sunt in verbis & factis, in ordine ad alios quibus homo conuiuit. In quantum verò exteriores motus sunt signa interioris dispositionis, pertinet eorum moderatio ad virtutem veritatis, secundum quam aliquis talem se exhibet in verbis & factis, qualis est interius.

Ad quartum dicendum, quòd in compositione exteriorum motuum studium vituperatur, per quod aliquis fictione quadam in exterioribus motibus vitur, ita quòd interiori dispositioni non conueniant. Debet tamen tale studium adhiberi, vt si quid in eis inordinatum est, corrigatur. Vnde Ambrosius dicit in 1. de Officijs †, Ars desit, non desit correctio.

*in solut.  
ad 1. ar-  
gum. pra  
ced.*

*c. 18. an-  
te med.  
to. 1.*

*in 2. regu  
la ante  
med. to. 1*

*c. 6. & 7.  
to. 5.*

*c. 18. p2-  
rū a me.  
to. 1.*



805

4. dif. 16.  
9. 4. ar. 2.  
9. 1. co.  
Et 3. cor.  
c. 25. Et  
mal. 2. le.  
5. princ.  
Et 4. eth.  
le. 16. pr.  
\* lib. 1. c.  
23. in me  
dio, 10. 1.  
† 1. 2. 9.  
55. ar. 4.  
\* hom. 6.  
in Matt.  
à me 10. 2  
† c. 6. ut  
to. med.  
10. 5.  
c. 4. 10. 5.  
c. ult. in  
fin. 10. 1.  
lib. 4. eth.  
s. 8. 10. 5.

*Virum in ludis possit esse aliqua virtus?*

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod in ludis non possit esse aliqua virtus. Dicit enim Ambrosius in 1. de Officijs: Vae vobis qui ridetis, quia flebitis, ait Dominus. Non solum ergo profusos, sed etiam omnes iocos declinandos arbitror. Sed illud quod potest virtuose fieri, non est totaliter declinandum. Non ergo circa ludos potest esse virtus.

¶ 2. Præterea, Virtus est quam Deus in nobis sine nobis operatur, ut supra habitum est. Sed Chrysostomus dicit, Nā dat Deus ludere, sed diabolus. Audi quid quando ludentes passi sunt: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Ergo circa ludos non potest esse virtus.

¶ 3. Præterea, Philosophus dicit in 10. Ethicorum quod operationes ludi non ordinantur ad aliquid aliud. Sed ad virtutem requiritur, ut propter aliud eligens operetur: sicut patet per Philosophum in 2. Ethicorum. Ergo circa ludos non potest esse aliqua virtus.

**S**ED contra est, quod Augustinus dicit in secundo Musicae, Volo tandem tibi parcas. Nam sapienter decet interdum remittere aciem rebus agendis intractam. Sed ista remissio animi à rebus agendis, est per ludicra verba & facta. Ergo his ut interdum sapientem & virtuosum pertinet. Philosophus etiam ponit virtutem eutrapeliæ circa ludos, quam nos possumus dicere iucunditatem.

**R**ESPONDEO dicendum, quod sicut homo intelliget corporali quiete ad corporis refocillationem, quia non potest continuè laborare, propter hoc quod habet finitam virtutem, quæ determinatis laboribus proportionatur: ita etiam est ex parte animæ, cuius etiam est virtus finita, ad determinatas operationes proportionata. Et ideo quando ultra modum suam in aliquas operationes se extendit, laborat, & ex hoc fatigatur: præsertim, quia in operationibus animæ simul etiam laborat corpus, in quantum scilicet anima

in intellectu utitur viribus per organa corporea operantibus. Sunt autem bona sensibilia connaturalia homini. Et ideo quando anima supra sensibilia eleuatur, operibus rationis intenta, nascitur exinde quaedam fatigatio animalis, siue homo intendat operibus rationis practicae, siue speculatiuae. Magis tamen si operibus contemplationis intendat, quia per hoc magis a sensibilibus eleuatur: quamuis forte in aliquibus operibus exterioribus rationis practicae maior labor corporis consistat. In vtrisque tamen tanto aliquis magis altero fatigatur, quanto vehementius operibus rationis intendit. Sicut autem fatigatio corporalis soluitur per corporis quietem, ita etiam oportet quod fatigatio animalis soluatur per animae quietem. Quies autem animae est delectatio, ut supra habitum est \* cum de passionibus ageretur. Et ideo oportet remedium contra fatigationem animalem adhiberi per aliquam delectationem, intermissa intentione ad insistendum studio rationis. Sicut in collationibus \* patrum legitur, quod beatus Ioannes Euangelista, cum quidam scandalizarentur quod eum cum discipulis suis ludentem inuenirent, dicitur mandasse vni eorum qui arcum gerebat, ut sagittam traheret. Quod cum pluries fecisset, quaesuit vtrum hoc continue facere posset; qui respondit, quod si hoc continue faceret, arcus frangeretur. Vnde beatus Ioannes subintrulit, quod similiter animus hominis frangeretur, si numquam a sua intentione relaxaretur. Huiusmodi autem dicta vel facta, in quibus quaeritur nisi delectatio animalis, vocantur ludicra, vel iocosa. Et ideo necesse est talibus interdum uti, quasi ad quamdam animae quietem. Et hoc est quod Philosophus \* dicit in 4. Ethicor. quod in huius vitae conuersatione quaedam requies cum ludo habetur. Et ideo oportet interdum aliquibus talibus uti, circa quae tamen videntur tria esse praecipue cauenda: quorum primum & principale est, quod praedicta delectatio non quaeratur in aliquibus operationibus,

\* 1. 2. 9.

25. ar. 2.

9. q. 11.

ar. 1. ad

2.

in colla-

tione 24.

c. 21.

c. 8. fo. 5.

E c 4 nibus,

\* in c. de  
scurri-  
sive, &  
Facetta,  
in prin.  
† c. 20. cir-  
ca princ.  
to. 1.  
immedia-  
te ante c.  
de Scurri-  
litate.

loco iam  
dicto.

lib. 4. eth.  
c. 8. to. 5.

in corp.  
art.

† lib. 1. de  
inuentio-  
ne inter  
princ. &  
med.

lib. 7. Of-  
fic. c. 23.  
in princ.  
to. 1.

nibus, vel verbis turpibus, vel nociuis. Vnde Tullius dicit in 1. de Offic. quòd vnum genus iocandi est il- liberale, petulans, flagitiosum, obscœnum. Aliud au- tem attendendum est, ne totaliter grauitas animæ re- soluatur. Vnde Ambrosius † dicit in primo de Offic. Caueamus ne dum relaxare animum volumus, solua- mus omnem harmoniam, quasi concentum quendam bonorum operum. Et Tullius \* dicit in 1. de Offic. quòd sicut pueris non omnem ludendi licentiam da- mus, sed eam quæ ab honestis actionibus non sit aliena, sic in ipso ioco aliquod probi ingenij lumen ele- ceat. Tertio autem attendendum est, sicut & in co- nibus alijs humanis actibus, vt congruat personæ & tempori, & loco; & secundum alias circumstantias debite ordinetur, vt scilicet sit & tempore & homine dignus, vt Tullius † dicit ibidem. Huiusmodi ergo secundum regulam rationis ordinantur. Habitus au- tem secundum rationem operans est virtus moralis. Et idèd circa ludos potest esse aliqua virtus, quæ Philosophus \* eutrapeliam nominat. Et dicitur ali- quis eutrapelus à bona conuersatione: quia scilicet bene conuertit aliqua dicta vel facta in solatium. Et in quantum per hanc virtutem homo refrænetur ab immoderantia ludorum, sub modestia continetur. Ad primum ergo dicèdum, quòd sicut dictum est, iocosa debent congruere negotijs & personis. Vnde & Tullius † dicit in primo Rhetor. quòd quando ve- ditores sunt defatigati, non est inutile ab aliqua re noua aut ridicula oratorem incipere, si tamen rei di- gnitas non adimit iocandi facultatem. Doctrina au- tem sacra maximis rebus intèdit, secùdum illud Pro- uerb. 8. Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum. Vnde Ambrosius \* non excludit vniuersaliter iocem à conuersatione humana, sed à doctrina sa- cra. Vnde præmittit, Licet interdum honesta ioca ac- suaui sint, tamen ab ecclesiastica abhorrent regula: quoniam in Scripturis sanctis non reperimus ea- quemadmodum vlturpare possimus.

Ad



Ad secundum dicendum, quod verbum illud Chry-  
sostomi est intelligendum de illis, qui inordinatè lu-  
dis vtuntur, & præcipuè eorum qui finem in delecta-  
tione ludi constituunt. Sicut de quibusdam dicitur  
Sapient. 15. Æstimauerunt esse ludum vitam nostram:  
contra quos dicit Tullius in 1. de Offic. \* Non ita  
generati à natura sumus, vt ad ludum & iocum facili-  
ter esse videamur, sed ad seueritatem potius, & ad qua-  
dam studia grauiora atque maiora.

Ad tertium dicendum, quod ipsæ operationes lu-  
di secundum suam speciem non ordinantur ad ali-  
quem finem, sed delectatio quæ in talibus actibus ha-  
betur, ordinatur ad aliquam animæ recreationem,  
& quietem. Et secundum hoc, si fiat moderatè, licet  
vti ludo. Vnde Tullius dicit \* in 1. de Offic. Ludo &  
ioco vti quidem licet, sed sicut somno & quietibus  
cæteris, tum quum grauib; seriisque rebus satisfe-  
cerimus.

ARTIC. III.

*Vtrum in superfluitate ludi possit esse peccatum?*

806

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod in su-  
perfluitate ludi non possit esse peccatum. Illud  
enim quod excusat à peccato, non dicitur esse pecca-  
tum. Sed ludus quandoque excusat à peccato. Mul-  
ta enim si serio fieret, grauiora peccata essent, quæ qui-  
dem ioco facta, vel nulla, vel leuia sunt. Ergo vi-  
detur quod in superabundantia ludi non sit pecca-  
tum.

4. eth. le.  
16. col. 1.  
Q. 2.

¶ Præterea, Omnia alia vitia reducuntur ad  
septem vitia capitalia, vt Greg. \* dicit 31. Moral.  
Sed superabundantia in ludis non videtur reduci ad  
aliquod capitalium vitiorum. Ergo videtur quod  
non sit peccatum.

cap. 31.

¶ 3 Præterea, Maximè histriones in ludo viden-  
tur superabundare, qui totam suam vitam ordinant  
ad ludendum. Si ergo superabundantia ludi esset pec-  
catum, tunc omnes histriones essent in statu peccati.  
Peccarent etiam omnes qui eorum ministerio vte-  
netur,

cap. 31.

*in 1 p. in cap de S. Paphnu- sio, f. 23. in princ. lib. gl. inter- sen. ibid.*  
rentur, vel qui eis aliqua largirentur, tamquam pec-  
cati fautores: quod videtur esse falsum. Legitur  
enim in vitis patrum, quod beato Paphnutio revela-  
tum est, quod quidam ioculator futurus erat sibi con-  
sors in vita futura.

SED contra est, quod super illud Prouerb. 14. Ri-  
sus dolori miscbitur, & extrema gaudij luctus occu-  
pat: dicit gloss. † luctus perpetuus. Sed in superflu-  
tate ludi est inordinatus risus, & inordinatum gaudium.  
Ergo est ibi peccatum mortale, cui soli debetur lu-  
ctus perpetuus.

RESPONDEO dicendum, quod in omni eo quod  
est dirigibile secundum rationem, superfluum dicitur  
quod regulam rationis excedit. Diminutum autem  
dicitur aliquid secundum quod deficit a regula rationis.  
*art. prac.* Dicitur est autem \* quod ludicra siue iocosa verba vel  
facta, sunt dirigibilia secundum rationem. Et ideo su-  
perfluum in ludo accipitur, quod excedit regulam  
rationis. Quod quidem potest esse dupliciter. Uno  
modo, ex ipsa specie actionum quæ assumuntur in lu-  
dum: quod quidem iocandi genus secundum Tullium  
dicitur esse illiberale \*, petulans, flagitiosum, ob-  
scœnum, quando scilicet vitur aliquis causa ludi risu-  
pibus verbis vel factis, vel etiam his quæ vergunt ad  
proximi nocumentum: quæ de se sunt peccata mor-  
talia. Et sic patet quod excessus in ludo est peccatum  
mortale. Alio autem modo, potest esse excessus in lu-  
do secundum defectum debitarum circumstantiarum:  
puta cum aliqui vtuntur ludo vel temporibus vel lo-  
cis indebitis, aut etiam præter convenientiam nego-  
tij seu personæ. Et hoc quidem quandoque potest esse  
peccatum mortale, propter vehementiam affectus  
ad ludum, cuius delectationem præponit aliquis de-  
lectioni Dei, ita quod contra præceptum Dei vel Ec-  
clesiæ, talibus ludis, vti non refugiat. Quandoque  
autem est peccatum veniale: puta si aliquis non tan-  
tum afficitur ad ludum, quod propter hoc velit ali-  
quid contra Deum committere.

Ad

Ad primum ergo dicendum, quòd aliqua sunt peccata propter solam intentionem: quia scilicet in iniuriam alicuius fiunt. Quam quidem intentionem excludit ludus, cuius intentio ad delectationem fertur, non ad iniuriam alicuius: & in talibus ludus excusatur à peccato, vel peccatum diminuit. Quaedam verò sunt quæ secundum suam speciem sunt peccata, sicut homicidium, fornicatio, & similia. Et talia non excusantur per ludum, quinimo ex his ludus redditur flagitiosus & obscenus.

Ad secundum dicendum, quòd superfluitas in ludo pertinet ad ineptam lætitiã, quam Gregorius \* dicit esse filiam gula. Vnde Exod. 32. dicitur, Sedebat populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.

*lib. 31.  
mor. c. 32*

Ad tertium dicendum, quòd sicut dictum est \*, ludus est necessarius ad conuersationem humanæ vitæ. Ad omnia autem quæ sunt vtilia conuersationi humanæ, depurari possunt aliqua officia licita. Et ideo etiam officium histrionû, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum, nec sunt in statu peccati, dummodo moderatè ludo vtantur, id est, nõ vtendo aliquibus illicitis verbis vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum negotijs & temporibus indebitis. Et quamuis in rebus humanis non vtantur alio officio per comparationem ad alios homines, tamen per comparationem ad seipsos & ad Deum, alias habent feriosas & virtuofas operationes, puta dum orant, & suas passiones & operationes componunt, & quandoque etiam pauperibus elemosynas largiuntur. Vnde illi qui moderatè eis subueniunt, non peccant, sed iuste faciunt, mercedem ministris eorum eis tribuendo. Si qui autem superbie sua in tales consumunt, vel etiam sustentant illos histriones qui illicitis ludis vtuntur, peccant, quasi in peccato fouentes. Vnde August. \* dicit super Ioannem, quòd donare res suas histrionibus, vitium humane nõ virtus: nisi forte aliquis histrionis esset in

*art. pres.*

*tract. 100  
in 10. ps.  
rum ante  
med. 10. 9*

extre-

refertur  
dist. 86. c.  
Pasc.

808  
4. Esch. le.  
26. co. 21.

1. de vera  
et fal. pa.  
cap. 15. a  
me. 10. 4.

lib. 2. c. 7.  
li 4. c.  
2. rom. 5.

extrema necessitate, in qua esset ei subueniendum. Dicit enim Ambrosius in lib. 7. de Officijs, Pasce famam morientem. Quisquis enim pascendo hominem seruire poteris, si non paueris, occidisti.

## ARTIC. IV.

*Vtrum in defectu ludi consistat aliquid peccatum?*

**A**D quartum sic proceditur. Videtur, quod in defectu ludi non consistat aliquid peccatum. Nullum enim peccatum interdicitur penitenti. Sed Augustinus \* dicit, de penitente loquens, Cohibeat se a ludis, & a spectaculis seculi, qui perfectam vult consequi remissionis gratiam. Ergo in defectu ludi non est aliquid peccatum.

¶ 2. Præterea, Nullum peccatum ponitur in commendatione sanctorum. Sed in commendatione quorundam ponitur quod a ludo abstinuerunt. Dicitur enim Hierem decimo quinto, Non sedi in consilio ludentium. Et Tobia tertio dicitur, Nunquam cum Iudentibus miscui me, neque cum his qui in leuitate sensus ambulant, participem me præbui. Ergo in defectu ludi non potest esse peccatum.

¶ 3. Præterea, Andronicus ponit austeritatem, quam inter virtutes numerat, esse habitum, secundum quem aliqui neque afferunt alijs delectationes concursionum, neque ab his recipiunt. Sed hoc pertinet ad defectum ludi. Ergo defectus ludi magis pertinet ad virtutem quam ad vitium.

**SED** contra est, quod Philosophus \* in secundo de quarto Ethicorum, ponit defectum in ludo esse vitium.

**RESPONDEO** dicendum, quod omne quod est contra rationem in rebus humanis, vitiosum est. Est autem contra rationem, ut aliquis se alijs ostentat exhibeat, puta dum nihil delectabile exhibet, & etiam delectationes aliorum impedit. Unde Seneca dicit, Sic te geras sapienter, ut nullus te habeat tanquam asperum, nec contemnat quasi vilem. Illi autem qui

in ludo  
dicent  
rum lu  
& dicit  
in 4. E  
quieren  
non pro  
per de  
ideo de  
perexc  
quod p  
di: qu  
quasi p  
cibo.

Ad p  
tibus l  
eis lud  
hoc ip  
diminu  
Ad se  
quitur  
magis  
bam,  
dicitur  
quod p  
his qui  
bui.

Ad t  
dum qu  
nes, se  
per tiner  
amicitia  
ritatem  
tum cor  
libatio

Ad t  
dum qu  
nes, se  
per tiner  
amicitia  
ritatem  
tum cor  
libatio

in ludo deficiunt, nec ipsi dicunt aliquod ridiculum, & dicentibus molesti sunt, quia scilicet moderatos aliorum ludos non recipiunt. Et ideo tales vitiosi sunt, & dicuntur duri, & agrestes, ut Philosophus \* dicit in 4. Ethicorum. Sed quia ludus est utilis propter quietem & delectationem, delectatio autem & quies non propter se queruntur in humana vita, sed propter operationem, ut dicitur in decimo 7. Ethicorum: ideo defectus ludi minus est vitiosus, quam ludi superexcessus. Vnde Philosophus \* dicit in 9. Ethicorum quod pauci amici propter delectationem sunt habendi: quia parum de delectatione sufficit ad vitam quasi pro condimento, sicut parum de sale sufficit in cibo.

*lib. 4. c. 8.  
parum 2  
prin to. 5  
li. 10. c. 6.  
tom. 5.  
\* l. 9. c. 10  
a me. 4. 5.*

Ad primum ergo dicendum, quod quia penitentibus luctus indicitur pro peccatis, ideo inre dicitur eis ludus. Nec hoc pertinet ad vitium defectus, quia hoc ipsum est secundum rationem, quod in eis ludus diminuat.

Ad secundum dicendum, quod Hieremias ibi loquitur secundum congruentiam temporis, cuius status magis ludum requirebat. Vnde subdit, Solus sedebam, quoniam amaritudine replesti me. Quod autem dicitur Tobiz tertio, pertinet ad ludum superfluum: quod patet ex eo quod sequitur, Neque cum his qui in leuitate ambulant, participem me præbui.

Ad tertium dicendum, quod austeritas secundum quod est virtus, non excludit omnes delectationes, sed superfluas & inordinatas. Vnde videtur pertinere ad affabilitatem, quam \* Philosophus amicitiam nominat: vel ad eutrapeliam sive iucunditatem. Et tamen nominat & diffinit eam sic secundum convenientiam ad temperantiam, cuius est delectationes reprimere.

*li. 4. Eth.  
c. 6. to. 5.*